



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCXXVIII. Ioannis Papae VIII. Ad Helmoinvm Episcopvm
Pennensem. Arguit quod ad Synodus non accesserit. iubet statuta die ad
se venire, & interim quemdam absoluere, quem iniuste ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ipse deuotus est, tu ei deuotione & amicitia copulatus, in quo posse tibi fuerit, contra aduersitates illius te murum opponas: quatenus patris illius, qui proprio genitore salvando * suffigiit, reminiscens pro vtriusque amore, si de nobis tibi cura est, ipsius Pandenulfi profectibus potius hæreas, quam obuiare quoquomodo videaris.

EPISTOLA CCXXVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD HELMOINVM EPISCOPVM PENNENSEM.

Arguit quod ad Synodum non acceſſerit. iubet statuta die ad se venire, & interim quemdam absoluere, quem iniuste excommunicauerat.

Reuerendissimo & sanctissimo Helmoino episcopo Pennensi.

SECUNDVM sacros venerabilium patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, pro ecclesiasticis dumtaxat necessitatibus, atque utilitatibus ad eas, quas nuper statutis diebus celebrauimus Synodos, misis ex more auctoritatis nostræ literis, fraternitatem tuam debere occurrere modis omnibus decreuimus: sed quia ceteris deuote valde venientibus, te minime venisse, neque excusationem tuam in tractoria regulari tenore conscriptam nobis & sanctæ Synodo, causa videlicet temeritatis, & inobedientiæ, ut etiam euidenter apparet, non direxiſſe comperimus; ne dilectionem tuam de hoc indiscussam præteriſſe videamur, hoc nostro apostolatus statuto iubemus, eam infra octauum diem Decembriſ mensis, sine aliqua mora, vel ambiguitate ad nos debere venire, nostrisque se obtutibus praesentare. Nam & Oteramus filius qui Coruini cum aliis suis conciuibus, nostris apostolicis, coram venerabili episcoporum coetu super te questus est, auribus, quod dum a te ipse impetitus ecclesiastice de contempione, post præstito sacramento, se cum suis sacramentariis purgasset, tua eum fraternitas, sicut professus est, quasi perjurum excommunicauerit; regula canonica præcipiente, quod hanc episcopus fibi cognitionem nullo modo beat vindicare, Dominoque dicente ad Moyſen, ad vnius testimonium neminem condemnatioportere. Quod si ita est, quia temere illum excommu-

nicare non debuisti , præcipimus , vt eum de præsentia abfoluas , tuæque communioni restituas : nam si ausu improbo aliter feceris , nos quidem eum auctoritate apostolica procul dubio absolutum esse iubemus . Et si hanc iussionem nostram paruipendens , temerario ausu præsentia nostræ adesse contempseris , ecclesiastica te communione , velut inobedientem esse noueris priuandum ; quousque protius negligentiis dignam veniens nobis satisfactionem humiliter feceris . Data xiii . Kalendas Decembri .

EPISTOLA CCXXIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ARPALDV M EPISCOPVM ASCVLANVM.

Arguit quod ad Synodum non venerit . iubet ad se venire ,
vt iis , quæ a suis clericis obiiciebantur ,
respondeat .

Reverendissimo & sanctissimo Arpaldo episcopo Asculano .

SECUNDVM sacros venerabilium patrum Canones Spiritu Dei conditos , & totius mundi reuerentia consecratos , pro ecclesiasticis dumtaxat necessitatibus ad eas quas nuper statutis diebus celebrauimus Synodos , mislis ex more auctoritatis nostræ literis , fraternitatem tuam debere occurrere modis omnibus decreuimus . Sed quia ceteris deuote valde venientibus , te minime venisse , cum etiam & auditu didiceris nos Synodum celebrare , neque excusationem tuam regulari tenore in tractoria conscriptam , nobis & sanctæ Synodo , causâ temeritatis , & inobedientiæ tuæ , vt euidenter appetat , non direxisse compierimus ; ne dilectionem tuam de hoc indiscussam præteriisse videamur , hoc nostræ auctoritatis statuto iubemus , eam de præsenti sine aliqua mora , vel ambiguitate ad nos debere venire , nostrisque se obtutibus præsentare . Nam & clerici tuæ nos ecclesiæ adierunt , reclamantes , multa se a tua perpresso fraternitate enormiter aduersa , & contra regulam ecclesiasticam iniuste fore oppressos ; quorum videlicet obiectionibus coram nostro præfulatu afflentem te oportet procul dubio respondere . Et ideo hac iussione nostra percepta occurrere studeas , antequam ecclesia tua

Ll iiij